

10
D. ANTONIUS MARIA CORREALE
Congregationis Clericorum Regularium
Præpositus Generalis.

Hoc Opus inscriptum *Confessarius Monialium* a P. D. Cajetano de Alexandris nostræ Congregationis Theologo compositum, & juxta assertionem Patrum, quibus id commissimus, approbatum, ut Typis manderetur, quoad Nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præsentem litteras manu propria subscripsimus, & solito nostro Sigillo firmavimus.

Dat. Romæ die 24. Septemb. 1712.

D. Antonius Maria Correale Præpositus
Generalis Clericorum Regularium.

D. Joseph Maria Aliprandi Secr.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Tommaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *Confessarius Monialium, &c.* instructus a P. Cajetano de Alexandris Clerico Regulari, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza, che possi esser stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 18. Settembre 1712.

(Gerolamo Venier Kav. Proc. Rif.

(Gio: Francesco Morosini Kav. Rif.

Agostino Gadaldini Segr.

CON.



CONFESSARIUS
MONIALIUM.
CAPUT PRIMUM.

De Monialium obligationibus.

§. I.

De obligatione Monialium tendendi ad perfectionem ratione status.



Irgines contemplativam, & cœnobiticam vitam profitentes, variis in primitiva Ecclesia fuerunt nominibus nuncupatæ, & quidem omnibus sanctitatem præferentibus. Sacerdotes illas appellavit Basilius, Deo Sacratas Fulgentius, & velatas Christi Sponsas Opratus. Hoc nostro ævo intitulantur moniales a Græco nomine *Μοναχ*, quod *solitudinem captantes* significat. Hæc tam speciosa, & plena Religionis vocabula enunciant, quales exprimi debeant a Sacris Virginibus mores; unde merito, Tractatum hunc ab obligatione, qua tendere ad perfectionem tenentur, exordimur. Igitur

A 6 Quæ.

Quar. 1. Utrum moniales teneantur ex vi suæ professionis tendere ad perfectionem.

Resp. Affirmative; quia hæc est obligatio sui status, & in quo differunt a laicis. Nam statui laicorum solum dicitur a Christo Matthæi 19. *Serva mandata.* Statui vero Religiosorum, qui insinuat illis verbis, *Si vis perfectus esse, ulterius dicitur, Vade, & vende qua habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me;* per quod denotantur consilia, & per consequens perfectionis sequela. Non tenentur tamen tendere ad perfectionem per omnia opera consiliorum, aut supererogationis, sed per illa tantum, quæ sunt secundum regulam, & observantias sui Ordinis, quia non se obligaverunt nisi ad illam perfectionem, quæ mediis Institutis suæ Religionis comparari potest. Neque tenentur esse perfectæ in facto esse; quia status Religionis non est status perfectionis acquisitæ, sed acquirendæ. Unde neque tenentur ex vi hujus obligationis domitas, seu superatas habere omnes suas passiones inordinatas; sed sufficit, ut ad eas vincendas, quantum potuerint, continentur.

Quar. 2. An prædicta obligatio tendendi ad perfectionem sit sub mortali.

Resp. Affirmative; quia est de re gravissima, quam noverunt, & in qua consistit substantia status Religiosi. Ita Corduba, & Rodriguez t. 1. qq. Regul. q. 48. art. 1. Non esse tamen obligationem distinctam ab obligatione servandi vota, & observantias Regulares, probabilis est, ut notat Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 5. num. 5. Quia culpæ, & præcepta nisi ex evidentissimis rationibus sunt multiplicanda; cumque versemur in materia odiosa, quod minimum est, sequendum.

Quar.

Quar. 3. Quando contra hoc præceptum peccent moniales.

Resp. Peccare contra hoc præceptum, quando transgrediuntur regulam, etiam si ad venialem tantum, vel ad nullam culpam obligaret, eo fine, ut impediant perfectionem; aut quando firmiter statuunt apud se, nullo modo curare de perfectione sui status, quia hoc est directe contra id, quod promiserunt. Valentia, Valquez & alii. Item quando intervenit contemptus consiliorum, quibus pervenitur ad perfectionem. Cajet. 2. 2. q. 86. n. 9. Talis autem contemptus nunc intervenit, quando monialis refugit subjei consiliis divinis, ut a Deo traditis; vel quando parvi æstimat opera ipsa consiliorum; ita ut illa secundum se vilipendat. Quare si monialis spirituales profectum, & divina consilia, ut a Deo tradita, reveretur, & tantum de illis non curat, quia non tenetur ad illa, nec sunt necessaria ad salutem, non peccat mortaliter. Sanchez l. c. n. 9. ubi subdit, venialiter tamen peccare, quia aliqualis contemptus est omittere intentionem, & executionem mediorum conducentium ad profectum spirituales.

§. II.

De obligatione monialium ratione Regula.

Quar. 1. AN, & quo genere obligationis teneantur moniales servare regulam, seu Constitutiones, & Statuta sui Ordinis.

Resp. Teneri equidem; quia regula, & Constitutiones participant rationem legis.

cui se subjecerunt per promissionem factam in professione. Qua autem obligatione teneantur, an scilicet ad culpam, vel ad poenam tantum, vel ad utranque, ex ipsis regulis metiendum est. Advertendum tamen, quod si regula, seu Constitutionum transgressio fiat ex contemptu formali, semper est peccatum mortale, ut diximus supra de obligatione tendendi ad perfectionem, quia est peccatum inobedientiae formalis; & hoc verum est, etiam si regulae non obligent ad ullum peccatum, vel ad veniale tantum, quin licet materia sit levis, contemptus tamen est gravis, & formalis. Ita Navar. Cord. Valent. & Bart. a S. Fausto in *Theol. Relig. lib. 6. q. 157.* Quod si transgressio regulae, ad nullam culpam obligantis, oriatur ex nimia cupiditate erga aliquid, & non ex alio malo fine, est peccatum veniale; quia dato, quod a regula non esset prohibita illa actio, esset tamen culpa ex libidine, id est ex nimia cupiditate; ergo a fortiori venialis erit, dum a regula est prohibita. Ita D. Th. 2. 2. q. 186. n. 6. ad 1.

Quar. 2. An monialis, quae passim ex consuetudine violat regulam, quae non obligat ad culpam, peccet mortaliter ex contemptu.

Resp. Negative, quia contemptus inclusus in illa consuetudine non est formalis, sed interpretativus; nam formalis contemptus in solo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob solam externi operis multiplicationem induci nequit. Bene verum est, quod consuetudo supradicta disponit ad contemptum formalem, sicuti venialia peccata saepe reiterata disponunt ad mortale. Ita D. Th. *loc. cit. ad 3.* Quare monialis tenetur sub mortali eam consuetudinem tollere, quotiescunque advertit

per

per illam exponi periculo labendi in contemptum formalem, vel votorum transgressionem vel etiam praebendi aliis occasionem transgressionis. Sicut, quamvis consuetudo jurandi non possit dici peccatum mortale, at negligentia illam extirpandi, animadverso perjuriorum periculo inde surgente, est lethalis, Sanch. in *Decal. lib. 6. cap. 4. n. 21.*

Quar. 3. An quando regula consuetudine laxata est, teneantur moniales in suo pristino rigore eam servare.

Resp. Quod si regula accipiatur prout dicitur via substantialia religionis vota, debet exacte in suo pristino rigore servari, quia tria vota obligant ex iure divino naturali, adversus quod nulla consuetudo prevalere potest. Si vero regula accipiatur quatenus praescribit alia tribus votis adjuncta, inter quae adnumerandus est modus paupertatis, & obedientiae, potest consuetudine tolli, quia sicuti cum Superior dispensat in aliqua ex illis legibus, excusatur a culpa non observans, excusabuntur similiter moniales ex consuetudine non servantes aliqua ex praescriptis in regula, cum contra legem eadem sit vis consuetudinis, & dispensationis. S. Th. 4. *dist. 38. q. 1. n. 3. q. 1. ad 5.* & ibi Cajet. Turrecrem. Palac. aliique plurimi relati a Sanchez *lib. 6. cap. 2. n. 26.*

Quar. 4. An saltem si regula reformetur, & ad pristinum statum restitatur, teneantur illam sic reformatam servare.

Resp. Si moniales tempore professionis limitatam habuerant intentionem, non se amplius obligandi, quam ad illam regulam sic relaxatam, tunc non tenentur reformatam servare, quia actus non obligant ultra intentio-

nova

nam agentium. Ita multi apud Sanch. *loc. cit.* n. 39. Si vero absque illa expressa limitatione professæ sunt, tenentur regulam sic reformatam amplecti; quia sponte sua in Religione proficentes, se ita regulæ, & vitæ Religiosæ subiciunt, ut paratæ esse debeant, quantum ex se est, ad conservationem ipsius procurandam; quare si bonus Religionis status collapsus sit, tenentur moniales pati, ut instauretur, & per consequens tenentur etiam regulam sic instauratam observare, Sanch. *loc. cit.* alique plurimi ibi relati. Licet tamen Regulares regulam, quam professi sunt, teneantur observare, & cogendi sint; nihilominus moniales, quæ non ita exacte eam observant, veluti in jejuniis, in comedendo carnes, gestando indusium lineum, recitandis horis matutinis certa hora noctis, sunt tolerandæ, ut in monialibus S. Benedicti; & hoc esse juxta mentem Gregorii XIII. asserit Pignat. *com. 8. consult. 45. n. 25.*

CAPUT II.

De Puellarum receptione ad habitum Religionis.

§. I.

De conditionibus requisitis in Puellis recipiendis.

Quæst. 1. **Q**Uæ conditiones attendi debeant in puellis ad habitum recipiendis.
Resp. Varias præscribi condiciones, tum jure naturali, tum jure Pontificio, tum jure particulari singularum Religionum. Ideo hæc omnia

at: CB-

attendere debent moniales Deum solum, & bonum Religionis præ oculis habentes, omni carnis sanguinisque interesse postposito. Solum igitur idoneas quoad tempus, & vires recipiant, considerata religionis austeritate majori, vel minori, attentisque laboribus, ad quos assumuntur puellæ. Si enim aliqua in Conversam recipiatur viribus destituta, certum est, quod non erit habilis, & similiter si ad asperissimam Capuccinatam religionem assumatur aliqua delicatula, & debilis, non attenditur in hoc bonum Religionis.

Quæst. 2. An amentis in aliquo genere, sed in reliquis ratione utens, possit ad probationem, & professionem admitti.

Resp. Ex Bordon. *variar. resp. 2. ref. 54. n. 25.* affirmative; quia cognoscit quid experiatur, & ad quid se obliget, ut suppono. Imo ejusmodi personæ potius simplices, & leves, quam amentes dicendæ sunt. Item si dementia superveniat Novitiæ jam receptæ, non per hoc tenetur vel Novitiatum denuo incipere, vel phrænesis tempus supplere, si per octo, vel quindecim tantum dies duraverit, cum tam breve tempus pro nihilo reputetur. Secus vero est, si in dicta alienatione mentis duret per mensem; nam licet tunc non teneatur novum Novitiatum incipere, cum non teneatur eo tempore Novitiatum interruptus, tenetur tamen, tempus illud dementiae supplere, quia qui rationis compos non est, disciplinam Ecclesiasticam experiri non potest. Ita Sanch. & Barb. citati a Peyrin. *r. 2. q. 3. §. 2. n. 39.* contra Bord. *loc. cit. n. 27.* qui negat debere suppleri, & contra Suarez, qui sustinet, novum Novitiatum esse incipiendum.

Quæst.